

Psalmus responsorius

Ps 146, 1-2. 3-4. 5-6 (R̄.: cf. 3a)

R̄. Laudáte Dóminum, qui sanat contrítos corde.

vel:

Allelúia.

¹ Laudáte Dóminum,
quóniam bonum est psállere Deo nostro,
quóniam iucúndum est celebráre laudem.

² Ædíficans Ierúsalem Dóminus,
dispérsos Israélis congregábit. R̄.

³ Qui sanat contrítos corde
et álligat plagas eórum;

⁴ qui númerat multitudínem stellárum
et ómnibus eis nómina vocat. R̄.

⁵ Magnus Dóminus noster et magnus virtúte,
sapiéntiæ eius non est númerus.

⁶ Susténtat mansuétos Dóminus,
humílians autem peccatóres usque ad terram. R̄.